





PAVLVS PAPA V.

AD PERPETVAM REI MEMORIAM.

NOmen S. Francisci de Paula Confessoris Sanctitate vitæ, & miraculis clarissimi amplioribus honoribus decorare quantum cum Domino possumus cupientes, ac totius Ordinis Fratrũ Minimorum, nuncupatorum ab eodem Sancto Confessore ad decorem, & vtilitatem Domus Dei vniuersę fundati, supplicationibus nobis humiliter porrectis incitati. De Venerabilium Fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum consilio. Quod decætero perpetuis futuris temporibus eiusdem Sancti Francisci de Paula Confessoris Festus dies sub ritu duplici per Vniuersum Orbem ab omnibus vtriusq; sexus Christi fidelibus tam Regularibus, quàm Secularibus, qui Officium Diuinum recitare tenentur, seu recitare voluerint, celebrari, ac recitari possit, & debeat Apostolica auctoritate tenore præsentium statuimus, & ordinamus: atq; idcirco in Breuiarijs, & Kalendarijs in posterum imprimendis eius Festum duplex describi, omnibusq; Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, cęterisq; Ecclesiarum, Prælatis in Vniuerso Terrarum Orbe constitutis, vt in suis quisq; Ecclesijs, Prouincijs, & Dięcesis, præsentes nostras literas solemniter publicari, & ab omnibus Ecclesiasticis personis, sæcularibus, & quorumuis Ordinum Regularibus omnino obseruari faciant, præcipimus & mandamus. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, nec non dicti Ordinis, etiam iuramento confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, cæterisq; coutrarijs quibuscunque. Volumus etiam, vt præsemtium transumptis, etiam impressis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius personæ in dignitate Ecclesiastica constitutę munitis eadem prorsus fides in Iudicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhiberetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud Sanctum Marcum sub Annullo Piscatoris, die quarta Maij M. D C X I I I. Pontificatus Nostri Anno Octauo.

S. Cobellutius.

ROMAE, Ex Typographia Reu. Cameræ Apostolicæ. M. D C X I I I.